IOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD FUTURAM REI MEMORIAM

Apostolica culminis pietati convenit fidelibus et de se benemerentibus ab incomodis subvenire gravius(que) oppressos potere(n)ta misericordie dextera liberaliter relevare. Exhibita siquidem
nobis pro parte dilectorum filiorum Universitatis et Hominum terre nostre Montissancti Provintie nostre Marchieanchonitane petitio continebat quod dudum ex taxatione facta per
bone memorie .. Episcopum Albanen(sem) tunc sancte Romane ecclesie Cardinalem et in ipsa Provintia apostolice sedis legatum Romane ecclesie seu eius Officialibus pro ea Quingentos florenos
tantum pro talea solvere consueverunt sed postea per aliquos ipsius ecclesie Officiales rigidiores et minus considerantes facultates dicta talea aucta fuit eis usque ad summam florenorum
Noningentorum Nonagintaduorum et Anchonitan(orum) Quatuordecim et ad eam solvendam dicti Universitas et Homines deinceps coacti fuerunt et de presenti etiam compelluntur
ad quam cum propter damna et pressuras quas pro servanda ad nos et eandem ecclesiam fidelitate in continuis guerris ab hostibus nostris passi sunt facultatibus et personis diminuti
sint nullo modo sufficiunt. Quare pro parte Universitatis et Hominum prefatorum nobis fuit humiliter supplicatum ut premissis consideratis dictam taleam eis intollerabi
lem ad tollerabilem quantitatem reducere dignaremur. Nos igitur fidei et devotionis dictorum Universitatis et Hominum integritatem aliaque multiplicia eorum de nobis et Ro
mana ecclesia merita recensentes dignos existimamus quorum incomodis et necessitatibus de clementie nostre beneficentia succurramus et propterea volentes ipsos ab importabili onere
relevare dictam taleam florenorum Noningentorum Nonagintaduorum et Anchonitan(orum) Quatuordecim ad taxationem prefati Episcopi Albanen(sis) videlicet Quingentorum
florenorum presentium tenore reducimus et ad eam solvendam dictam terram Montissancti de novo taxamus ita quod dicti Universitas et Homines Quingentos florenos
tantum nomine talee predicte et non plures solvere teneantur districtius inhibentes .. Rectori .. Thesaurario aliisque quibuscumque pro nobis et dicta ecclesia Officiali
bus presentibus et futuris ad quos pertinet et pertinere poterit quomodolibet infuturum ne a dictis Universitate et Hominibus ultra Quingentos florenos predictos
pro talea solvenda exigere petere nec eos ad id cogere vel compellere possint quoquomodo decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis aquoquam quavis auctorit
ate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reductionis inhibitionis et Constitutionis infringere vel
ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit
incursurum. Dat. Bononie VI Id. Martii Pontificatus nostri Anno Quarto.

R(egistrata) in thesauraria Marchie
Ro. S. per me Iulianum

M. de Bossis

V

Sgravio delle
Gabbelle
Filo: XXIII.

N.° 32.°

1414

Remissio talee ad tres denarios dum [illegible]
vz V florenos.

P terra Montis Sancti. Remissio Gabelle salis modiorum [illegible] promisse
Reformatoris.

Et possit eligere sindicare offitiales [illegible]
[illegible] reformatione [illegible].

Et quod [illegible] sufficiat non tenean[tur]
solvere gabellam.

[illegible]